



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Tractatus De Necessitate Et Modo Ministrandi Sacramenta Tempore pestis

Chapeauville, Jean

Mogvntiæ, 1612

14. An etiam publicis vsurariis, concubinariis, meretricib. in publico  
prostibulo commorantibus?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41077**

## QVÆSTIO XIV.

*An etiam publicis Vfurariis, Concubinariis  
Meretricibus, in publico prostibulo  
commorantibus?*

## Questionis explicatio.

*a Maior in 4  
di. 6. q. 2.*

**P**ublici vſurarii, concubinarij, & meretrices in prostibulo habitantes, magis obnoxii sunt morbo contagioso quàm cæteri, vt annotauit (a) Maior: Vſurarii quidè quia ad ædes eorum vndecunque pauperes confluere solent, vestimenta & alia pingnora deposituri, vt aliquid pecuniæ sub vſura accipere possint. Notum est autem in vestimentis peste infectorum virus pestilentielle, vt frequentius, longissimo aliquando tempore latere, & per illa de domo in domos, oppida, prouincias & regna deferri: Meretrices vero & Concubinarij propter immoderatum coitum, què constat contagioni causam præbere, vt alibi diximus. Horum occasione quæritur, an etiam iis peste infectis teneatur pastor ministrare hoc sacramentum, an vero excusetur?

*Responsio.*

**T**eneatur, si modo pro temporis oportunitate & necessitate confiteantur, vel



vel signa contritionis exhibeant, tūc enim temporis propter periculum & vrgentem necessitatem non est circa illos maior diligentia adhibenda, vel pœnitentia exigenda quam commode exhiberi & haberi possit, præsertim cum illo articulo de quolibet fideli præsumendum, sit illum facere quicquid potest, vt se bene disponat ad sumendum hoc sacramentum. Deinde quia tales pœnitentes coram Deo sunt dispositi, & apud homines ad tollendum scandalum sufficit, quod publicetur, illos pro ratione temporis pœnitentiam egisse & ea præstitisse, quæ præsens necessitas & articulus mortis permisit, vt patet ex dictis.

Dices: Publici peccatores iure (a) Canonico præcipiuntur à communione repelli, & sancti Patres grauitè arguunt illos sacerdotes, qui personas huiusmodi ad communionem admittunt: *Non parua* (inquit (b) Chrysostomus) *vobis imminet pœna* (aliquitur sacerdotes) *si quem aliqua impietate teneri scientes ei huius mensæ participationem permittatis; sanguis enim Christi de manibus vestris requiretur.* Eandem doctrinam inculcat sæpe (c) Cyprianus grauisime reprehendens eos qui peccatores post publicum lapsam ante publicam pœnitentiam & satisfactionem ad communionem admittunt.

a c. multi, 2.

q. 1. Conc. A-

relat. 1. c. 4.

5. Clem.

lib. 8. constit.

c. 32. c. Tua

nos, & ca.

Questum,

de cohab. cle-

& mulier.

b Homil. 83.

in Matth.

c epist. 10. 17.

& seqq.



R. In mortis articulo pastorem non debere nec posse maiorem satisfactionem & pœnitentiã exigere, quam pro ratione valetudinis, & temporis oportunitate ager præstare potest; & certum est Patres & iura, quæ exigunt publicam satisfactionem & alia non loqui de articulo mortis, vt aliquoties diximus. Secundo dico, pastorem posse & debere pœnitentiã & contritiõnem, quam peste infecti priuatim exhibuerunt, ipsis consentientibus vel requiruntibus publicare, & quantum honos sacramenti requirit, hominibus notam facere.

### Q V Æ S T I O X V.

*An etiam iis, qui frequentem nauseam & vomitum patiuntur, vel qui continuo singultiunt vel sternunt & tussunt, vel qui vix respirare possunt, vel quorum lingua ita intumuit, vt vix illam mouere queant, vel ita cruore est madida, vt continuo expuere cogantur, vel ita præ calore & siti aruit, vt nihil præter liquidum deglutire possint?*

Quæstionis explicatio.

**P**leriq; peste infecti multa eaq; grauissima symptomata patiuntur, & imprimis nauseam